



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

III. De Bonis Operibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

ea in nobis habitet & operetur : & quòd per hanc in-
habitationem, nostra coram Deo peccata regantur.

V. Quòd fides sit talis in obedientiam Christi fiducia,
quæ existere & manere possit in eiusmodi homine, qui
non verè pœnitentiam habeat, & qui caritate sit vacu-
us, & in peccatis contra conscientiam perseueret.

VI. Quòd non Deus ipse, sed dona Dei duntaxat in cre-
dentibus habitent.

Hos errores, hisq; similes: omnes vnanimiter reijci-
mus : quia verbo Dei clarissimo repugnant. Et per Dei
gratiam constantes perseueramus in doctrina sincera,
de iustificatione fidei coram Deo : vt ea in Augustana
Confessione, eiusq; Apologia perspicuè proposita, ex-
plicata, & verbo Dei munita est.

Quòd præterea ad copiosorem huius ardui & præ-
cipui articuli iustificationis coram Deo (in quo no-
stra salus vertitur) explicationem requiritur, de eo
præclarum D. Lutheri commentarium in Epistolam
Pauli ad Galatas, ab vnoquoque consuli & diligenter
legi monemus, ad quem breuitatis studio, hoc loco
nos referimus.

III. DE BONIS OPE- RIBVS.

DISSIDIUM porrò ortum est inter
quosdam Theologos Augustanæ Con-
fessionis, de bonis operibus. Alij enim
has propositiones vsurpârunt : Bona
opera sunt necessaria ad salutem : Im-
possibile est sine bonis operibus salua-
ri : Nemo vnquam sine bonis operibus est saluatus :
Quandoquidem à verè credentibus bona opera, vt fru-
ctus fidei requirantur : & fides sine charitate mortua
sit : etiamsi charitas non sit causa nostræ salutis.

Alij

Alij verò hoc dogma impugnârunt, atq; docuerunt, quòd bona opera necessaria quidem sint: sed non ad salutem: verùm propter alias causas. Et affirmâ-
 runt paulò antè recitatas propositiones in Ecclesia Dei non esse ferendas: propterea quòd formæ san-
 ctæ verborum & piæ doctrinæ non sint conformes: & quòd Papistæ cùm antea semper, tum verò imprimis
 nostro seculo eas propositiones opposuerint piæ no-
 stræ doctrinæ: qua asserimus, sola fides nos iustificari
 & saluari. Itaque eas reijciendas iudicârunt: ne me-
 ritum Christi seruatoris nostri extenuetur: & vt pro-
 missio de salute nostra, credentibus certa sit, & firma
 maneat.

In hoc diffidio quidam pauci hanc propositionem
 (quæ & ipsa controuersie occasionem dedit) attule-
 runt: Bona opera ad salutem esse perniciosa. Sed & à
 quibusdam disputatum fuit: quòd bona opera non
 necessaria, sed libera & spontanea sint, propterea quòd
 non metu & comminationibus Legis extorqueantur,
 sed spiritu spontaneo, & alacri mente fieri debeant.
 Alij verò asseruerunt: bona opera esse necessaria.

Hæc posterior controuersia in initio tantùm ex æqui-
 uocatione vocabulorum (necessitatis & libertatis)
 occasionem sumit: quòd vocabulum necessitatis
 non tantùm immutabilem & æternum ordinem diui-
 num (quò omnes homines ad obediendum Deo de-
 bitores sunt, & adstricti) verùm etiam interdum coa-
 ctionem, qua lex homines ad bona opera seuerè vrget,
 designet.

Progressu autem temporis non iam de verbis am-
 pliùs disputatum, sed de rebus ipsis magna vehemen-
 tia fuit disceptatum. Et à quibusdam acriter pugna-
 tum est: nouam obedientiam in renatis (quam supra
 commemoratus ordo diuinus requirit) non esse ne-
 cessariam.

Vt au-

Vt autem & hoc dissidium, iuxta verbi Dei analogiam piè declaretur, & per Dei gratiam prorsus componatur, doctrinam, fidem, & confessionem nostram de hoc negotio recitabimus.

PRIMÒ, in hoc articulo nulla est inter nostros dissensio, de his propositionibus, Quòd, videlicet, Dei voluntas & ordinatio sit atq; mandatum, vt credentes in bonis operibus ambulent. Quòd ea non sint verè bona opera, quæ quisq; bona intentione ipsemet excogitat, aut quæ secundùm humanas traditiones fiunt: sed ea, quæ Deus ipse in verbo suo præscripsit atq; præcepit. Quòd verè bona opera non proprijs naturalibus viribus, sed tùm demum fiant, cùm persona per fidem cum Deo est reconciliata, & per Spiritum sanctum renouata, & in Christo Iesu (vt Paulus loquitur) denuò ad bona opera, creata est.

Ephes. 2.

Sed & hoc extra controuersiam est, quomodo, & qua de causa, bona credentium opera (licet in hac carne nostra impura & imperfecta) Deo placeant & accepta sint: videlicet, propter Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem: propterea quòd persona Deo accepta est. Et si enim opera illa, quæ ad conseruandam externam disciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum conuersis hominibus fiunt, & quidam requiruntur) suam, coram mundo, dignitatem & laudem habent: & temporalibus quibusdam premijs, in hoc mundo, à Deo ornantur: attamen, cum non ex vera fide proficiunt, reuera coram Deo sunt peccata, hoc est, peccatis contaminata: & à Deo pro peccatis & immundicia reputantur: propter naturam humanam corruptionem, & quia persona cum Deo non est reconciliata. Mala enim arbor nò potest bonos fructus ferre. Et in ea, quæ ad Romanos scripta est, legitur: Quicquid non ex fide est, peccatum est. Necesse est enim, vt persona Deo antea placeat, idq; propter solum

Rom. 14.

Chri-

Christum, si modò personæ illius opera Deo placere & accepta esse debent,

Quare eorum operum, quæ reuerà bona sunt, & Deo placent, quæ etiam Dominus, tum in hoc, tum in futuro seculo vult remunerari, mater & fons est *IPSA FIDES*: vnde & veri fructus fidei, sicut & fructus Spiritus à D. Paulo appellantur, Fides enim (quemadmodum D. Lutherus in præfatione Epistolæ Pauli ad Romanos scribit) est diuinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterè Adamum mortificat, & ex nobis planè alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus nostris) facit, & Spiritum sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam viuum, efficacax, potens: ita vt fieri non possit, quin semper bona operetur. Neq; fides quærit demum, an bona opera sint faciendâ, sed priusquam de ea re inquiratur, iam multa bona opera effecit, & semper in agendo est occupata. Qui verò non ad hunc modum bene operatur; is homo vera fide caret: & vbi sit fides, vbi bona opera, quæ cæcus palpando quæritat, neq; tamen, quid fides, aut bona opera sint, nouit: interim tamen multa inest de fide & bonis operibus garrat & nugatur. Fides iustificans est viuâ & solida fiducia in gratiam seu clementiam Dei, adèd certa, vt homo millies mortem oppetere, quàm eam fiduciam sibi eripi pateretur. Et hæc fiducia atque agnitio diuinæ gratiæ & clementiæ, letos, animosos, alaeres efficit, cum erga Deum, tum erga omnes creaturas; quam lætitiâ & alacritatem Spiritus sanctus excitat per fidem. Inde homo sine vlla coactione promptus & alacris redditur, vt omnibus benefaciat, omnibus inseruiat, omnia toleret: idq; in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum est persecutus. Itaq; impossibile est, bona opera à fide vera separare: quemadmodum calor vrens & lux ab igne separari non potest.

Quia

Quia verò de hac re inter nostros non est contro-
uerfia, nolimus esse nunc prolixiores: sed tantum de
ijs rebus, quæ in controuersiam venerunt, quanta fieri
potest, simplicitate & perspicuitate mentem nostram
declarabimus.

Quod igitur ad Necessitatem aut libertatem bono-
rum operum attinet, negari non potest, quòd in Au-
gustana Confessione, eiusdemq; Apologia hæc verba
sæpe vsurpentur atq; repetantur: Bona opera esse ne-
cessaria: & quòd necesse sit bona operafacere: quia
necessariò fidem & reconciliationem cum Deo sequi
debent: & quòd necessariò ea opera, quæ Deus præ-
cepit, à nobis sint facienda. Sed & sacræ literæ vocabu-
lis (necessitatis, necessarij, debiti, debemus, oportet,
&c.) vtuntur, quoties de ijs rebus agunt, quas ratione
mandati, ordinationis & voluntatis diuinæ præstare
tenemur.

Quare propositiones hæc (bona opera esse necessa-
ria: & necesse esse, bene agere) in commemorata pia
& genuina sententia, immeritò à quibusdam reprehèn-
duntur & reijciuntur. Hæ enim retinendæ atq; vrgen-
dæ sunt ad redarguendam atq; refutandam securitatis
Epicuræ opinionem, qua multi fidem mortuam, aut
persuasionem quandam vanam, quæ sine poenitentia
& bonis operibus est, pro vera fide falsò habent: qua-
si scilicet, in vno eodemque corde simul stare possint,
vèra fides, & malum propositum in peccatis perseue-
randi & progrediendi: quod tamen prorsus est im-
possibile: aut, quasi aliquis voram fidem, iusticiam &
salutem habere ac retinere valeat, etiamsi arbor pu-
trida, & infrugifera sit maneatque, neque vllos bonos
fructus ferat: imò, quamuis in peccatis contra conscie-
ntiam perseueret, aut rursus destinata malitia in sce-
lèra priora relabatur. Hæc falsa & impia sunt. Interim
tamè de hoc etià discrimine comonefactio obseruanda

Rom. 13.
1. Cor. 5.
Actor. 5.
Iohan. 15.
1. Iohan. 4.

est, q̄ per vocabulū Necessitatis intelligēda sit necessitas ORDINIS, mandati, & volūtatis CHRISTI, ac dei nostri, nō autem necessitas coactionis. Vult enim mandatū Dei, vt creatura suo Creatori obediāt. In alijs enim quibusdam scripturæ locis vocabula (ex necessitate) de ijs rebus accipiuntur, quæ homini præter voluntatem eius, coactione quadam aut aliâs extorquerentur, vt externè, & quidem in speciem, sed tamen contra suam volūtatē aliquid faciat. Talia enim hypocritica opera Deus non probat; sed vult, vt populus Noui Testamenti sit populus spontaneus: & vt spontanea sacrificia offerat: atque obedientiam non iniunctus aut coactus, sed ex animo præstet. Hilarem enim datorem diligit Dominus. In hanc sententiam rectè dicitur atque docetur: quòd verè bona opera sponte, libero spiritu ab ijs, quos filius Dei liberavit, fieri debeant: quemadmodum etiam disputatio illa, de libertate bonorum operum, præcipuè ad hanc sententiam confirmandam à quibusdam agitata est.

2. Cor. 9.
ad Philemonem.

1. Pet. 5.

Psal. 110.

Psal. 54.

2. Cor. 9.

Roman. 6.

2. Cor. 8.

Rom. 7.

1. Cor. 9.

Galat. 5.

Roman. 8.

Hic autem etiam discrimen hoc obseruandum est, de quo Paulus loquitur: Delector lege Dei (promissus sum ad bene agendum) secundum interiorem hominem, Sed in carne mea legem aliam reperio, quæ nō modò inuita & ad bene operandum difficilis est, verum etiam legi mentis meæ repugnat. Et quod ad illam rebellem & difficilem carnem nostram attinet, ea de re Paulus sic ait: CASTIGO corpus meum, & IN SERVITUTEM REDIGO, &c. Et: qui sunt Christi, carnem suam CRUCIFIXERUNT, timò mortificârunt, cum vitijs & concupiscentijs. Contrà autem opinio falsa redarguenda & reiicienda est, cum docetur: bona opera ita esse libera homini Christiano, vt in eius libero arbitrio possum sit, ea vel facere, vel omittere: aut, licet contra legem Dei

Yy

pecc-

peccetur, nihilominus tamen, fidem, Dei gratiam atq; fauorem retinere posse.

DEINDE, cum docetur: Bona opera necessaria esse, etiam hoc explicandum est, quare, quibusque d. causis ea sint necessaria: quæ causæ in Augustana Confessione eiusq; Apologia recitantur.

Interim tamen diligenter in hoc negotio cauendum est, ne bona opera articulo Iustificationis & salutis nostre immisceantur. Propterea merito hæc propositiones reijciuntur: bona opera fidelibus necessaria esse ad salutem; ita ut impossibile sit, sine bonis operibus saluari: quia simpliciter pugnant cum doctrina de particulis exclusiuis in articulo iustificationis & saluationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita nostra, ab articulo iustificationis & salutis nostre, penitus exclusit, & omnia soli gratiæ atq; clementiæ diuinæ, & Christi merito adscripsit: quemadmodum superius declarauimus. Et propositiones illæ (de necessitate bonorum operum ad salutem) perturbatis & afflictis conscientijs veram Euangelij consolationem eripiunt: occasionem præbent dubitationi de gratia Dei: multis modis sunt periculosa: præsumptionem & falsam opinionem de propria iustitia, & fiduciam propriæ dignitatis confirmant: à Papistis acceptantur, & ad ipsorum malam causam fulciendam (contra sinceram doctrinam de sola fide saluante) adducuntur. Quin etiam formæ sanorum verborum repugnant: cum scriptum sit: Beatitudinem tantum esse hominis, cui Deus imputat iustitiam, sine operibus. Et in Confessione Augustana Articulo sexto scriptum legimus: Saluari nos sine opere, SOLA FIDE. Sed & D. Lutherus has propositiones reiecit atq; damnauit:

Rom. 4.

I.

Primò quidem in falsis Apostolis, qui Galatas in errorem induxerant.

II.

Deinde in Papistis, multis admodum locis.

Postea

Postea, etiam in Anabaptistis : qui hanc interpretationem adferunt, quod fides quidem non debeat nisi meritis operum: sed tamen ea necessario ad salutem requiri.

III.

Postremo in quibusdam alijs, suis hominibus, qui hanc, ut loquuntur, glossam in medium adducebant: si maximè, dicebant, bona opera tanquam ad salutem necessaria requiramus, tamen non docemus, quod bonis operibus sit confidendum.

IIII.

Quare & ex iam commemoratis causis in Ecclesijs nostris merito hoc ratum, certum & fixum esse debet:

*In commentario suo
super Genesim cap.
22.*

quod phrasès seu propositiones illæ, de bonis operibus ad salutem necessarijs, non sint docendæ, defendendæ, pingendæ, sed potius ex Ecclesijs nostris, ut illæ & non sinceræ explodendæ atque reiiciendæ: quippe quæ tempore persecutionis (ubi clara & perpicua confessione aduersus omnis generis corruptelas & deprauationes articuli iustificationis maximè opus erat) ex Interreligionis formula renouatæ, promanarint, atq; denuò disputationibus nouis occasionem præbuerint.

Interim.

POSTEA, cum de eo etiam disputatur: an bona opera salutem conferunt: aut, num ad retinendam aut conseruandam fidem, iustitiam & salutem sint necessaria: diligenter & accuratè declarandum est, quæ ratio iustitia & salus in nobis conseruentur, ne rursus amittantur. Scriptum est enim: qui perseverauerit usque ad finem, saluus erit. Et Apostolus ait: Participes Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ usque ad finem firmum retinuerimus.

Hebr. 3.

Et quidem in primis falsa & Epicuræa illa opinio grauitè redarguenda atq; reiicienda est, quod quidam fingunt, fidem & acceptam iustitiam atque salutem, non posse vllis peccatis aut sceleribus (tamen si omnino

voluntariè & destinata malitia mala opera perpetrentur) amitti: sed etiam si homo absq; omni Dei timore & pudore prauis suis concupiscentijs indulgeat. Spiritui sancto repugnet, & atrocia flagitia cõtra conscientiam suam (& quidem malo proposito) designet. nihilominus tamen fidem, gratiam Dei, iustitiam atq; salutem retineri posse.

Contra hanc pestilentissimam persuasionem, singulari diligentia hæc verissimæ, immotæ, diuinæ comminationes, pœnæ, & admonitiones Christianis, per fidem iustificatis, sæpe repetendæ atq; inculcandæ sunt. Nolite errare: neque fornicarij, neque adulteri, neque auari, &c. regnum Dei possidebunt. Et alibi: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et ad Romanos: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et: Proptertalia venit ira Dei super filios incredulitatis.

Quando autem & qua ratione ex hoc fundamento exhortationes ad bona opera (absque obscuracione doctrinæ de fide, & articuli de iustificatione) accipi possint? Apologia luculentum eius rei exemplar depingit, vbi capite XX. super verba Petri (Satagite vocationem vestram firmam facere) hæc verba habet: Petrus docet, quare sint bona opera faciendæ, scilicet, vt sit firma vocatio, hoc est, ne vocatione sua excidant, si iterum peccent. Facite (inquit) bona opera, vt perseueretis in vestra cœlitus vobis iniuncta vocatione, ne rursus deficiatis, & amittatis Spiritum ac dona, quæ prius contigerunt, non propter sequentia opera, sed ex gratia, per Christum, & iam **RETINENTUR FIDE.** At fides non manet in his, qui prauam vitam agunt, & amittunt Spiritum sanctum, & abijciunt pœnitentiam. Hactenus Apologia.

E contrario autem non est sentiendum, quod fides initio tantum iustitiam & salutem apprehendat, postea verò officium suum operibus resignet, vt ea deinceps

fidem,

Galat. 5.

Ephes. 5.

Rom. 8.

Colos. 3.

2. Pet. 1.

idem, apprehensam iustitiam, & salutem conserua-
re debeant. Vt enim nobis promissio de iustitia & sa-
lute nostra non modò consequenda, verùm etiam re-
tinenta, certa & firma esse possit: Paulus non tantùm
aditum ad gratiam, verùm etiam, quòd in gratia per-
seueramus, & de futura gloria glòriamur (hoc est, ini-
cium, medium & finem) SOLI FIDEI adscribit. Et
ubi ait: Propter incredulitatem suam defraacti sunt:
tu autem **FIDE** STAS: Et ad Colossenses inquit: Ex-
hibebit vos sanctos & immaculatos, & irreprehensi-
biles coram seipso: si tamen permanetis **I N F I D E**
fundati & stabiles, &c. Et Petrus ait: In virtute Dei cu-
rabitur vobis **P E R F I D E M** in salutem. Et: Reportabitis
finem fidei vestræ, salutem animarum.

Rom. 5.

Rom. II.

Coloss. 1.

I. Pet. I.

Cùm igitur ex sacrarum literarum testimonijs ma-
nifestum sit, quòd fides proprium & vnicum illud me-
dium sit, quo iustitia & salus non modò apprehendun-
tur, verùm etiam à Deo conseruantur: meritò reij-
ciendum est Tridentinæ Synodi Decretum (& si quid
alibi in eam sententiam fuit propositum:) quòd vide-
licet, bona nostra opera salutem conseruent: aut, quòd
apprehensa fidei iustitia, aut fides ipsa, per nostra o-
pera, vel ex toto, vel saltem ex parte retineantur, ac
conseruentur.

Et si enim ante motam hanc controuersiam multi
sinceri doctores eiusmodi phrasibus in explicatione sa-
cræ scripturæ vsi sunt: non autè eo animo, quòd com-
memoratos Papistarum errores confirmare vellent, ta-
men cùm interea de eiusmodi phrasibus disceptatio-
nes, scandala, & distractiones variæ exorta sint, lon-
ge tutissimum est (iuxta Pauli admonitionem) formam
sanorum verborum nò minori diligentia, quam ipsam
sinceram doctrinã, firmiter retinere: qua ratione mul-
tis non necessarijs concertationibus ansa præciditur,
& multa in Ecclesia Dei offendicula præcauentur.

PRAETEREA, quod ad propositiōem illam attinet: Bona opera ad salutem esse pernicioſa: ſententiā noſtram perſpicuè exponemus. Si quis bona opera articulo iuſtificationis immiſcere, iuſtitiā ſuam, aut fiduciā ſalutis ſuæ in ea reponere, gratiā Dei ijs promereri, & per ea ſalutem conſequi velit: reſpondemus, non quidem nos, ſed D. Paulus ipſe, idq; tertio repetit: quòd tali homini opera ſua non tantum ſunt inutilia, atq; ad ſalutem impedimento: verum etiam pernicioſa ſunt. Culpa tamen non eſt bonorum operum per ſe, ſed vanæ fiduciæ, quæ contra expreſſum Dei verbum in opera collocatur.

Philip. 3.

Inde tamen haudquaquam conſequitur, quòd ſimpliciter, & nudè aſſerere liceat: Bona opera credentibus ad ſalutem eſſe pernicioſa. Bona enim opera in credentibus (cùm propter veras cauſas ſunt, & ad veros fines, ſicuti ea Deus à reuatis exigit, referuntur) indica ſunt æternæ ſalutis. Siquidem hæc eſt voluntas, & hoc expreſſum Dei mandatum, vt credentes bona opera faciant: quæ Spiritus ſanctus in credentibus operatur: eaq; Deus Pater, propter Chriſtum accepta & grata habet, & præclara illis præmia, huius & futuræ vitæ, promittit.

Philip. 1.

Eam ob cauſam etiam paulò antè commemorata propositio in Eccleſijs noſtris reprehenditur & rejicitur, propterea, quòd ita nudè viurpata, falſa eſt, & offendiculi plena: qua diſciplina & morum honeſtas labefactantur, diſſolutæ verò & Epicuræ ſeræ vitæ ianuâ aperitur, & confirmatur. Ab ea enim re, quæ alteri ad animæ ſuæ ſalutē pernicioſa creditur, abſtinentium & cauendum eſſe omnes iudicant.

Cùm verò Chriſtiani à bonis operibus non deterrendi, ſed potiùs quàm diligentiffimè ad ea adhortandi ſint: profeſſò nuda iſta propositio in Eccleſia Chriſtiana errari non poteſt, nec defendenda eſt.